



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Vniversis Abbatibvs & Prioribus Cluniacensis ordinis ad generale  
Capitulum convenientibus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20020**

Dei vos comedere comprobetur. Quod si non omnes &c. duo vestrum &c. Vos de-nique, fratres Archiepiscopi & Episcopi, super vobis &c. Datum Laterani XII. Kal. Junij, pontificatus nostri anno sextodecimo.

*V N I V E R S I S A B B A T I B V S  
& Prioribus Cluniacensis ordinis ad gene-  
rale Capitulum convenientibus.*

*Epiſt. 6.  
Hortatur eos  
ad meliorem  
frugem.  
Vide iſtrā epift.  
144.*

**S**i diligenti meditatione pensabis quæliter vita monastica sub primis ordinis patribus pullulavit, & palmites longè latèque producens, ad mortifera circum-quaque venena pellenda flores bonorum operum protulit & boni nominis effudit odores, pervigili cura studebitis eorum inhærere vestigia, per quos in deserto mundi hujus plantata est & fructificavit in pluribus vitis monasticae honestatis. Ii nimirum monastica frugalitate contenti, & optimum ponentes in paupertate principium, assēcuti sunt in Domino totius sufficiencia complementum, Ecclesiarum Pra-latis accepti, ante Reges & Presides vita & merito glorioſi. Nunc autem, quod mœrarentes dicimus, eti non à cunctis in omnibus, à plerisque tamen ex vobis in pluribus dicitur declinatum in tantum quod contra vestri ordinis regulam manu nimis avida colligentes ubi forsitan non sparsisti, dum loculos proprios replere nitimini, bona Ecclesiarum, quæ vestro committuntur regimini, vacuatis, sic ambitioni vacantes quod in locis quibus praefisi, terrena paupertatis opes quaeritis, non opem im-penditis consilij salutaris. Ecce inter alia loca vestra præsidentium culpa depresso, prioratus de Caritate, qui olim in spiritu-ibus florens, in temporalibus abundabat, tanta corruptela marcescit & tam arida de-primitur paupertate quod nisi aliorum re-levetur auxilio, vix adipere poterit ut re-furgat. Alias etiam, sicut accepimus, tam in vobis quam alii curæ vestra commissis adeo perniciosi facti estis exemplo quod antiquis patribus loco tantum & habitu, non prærogativa virtutum, videmini suc-cessisse, sed eo plures contagio corruptio-nis inficiti quo pluribus illi quorum loca tenetis correctionis exempla vitae magiste-rio exhibebant. Ne vero indignè illorum privilegiis gaudeatis quorum non servatis in moribus disciplinam, per apostolica vo-bis scripta mandamus quatenus incipientes facere quod possitis liberiū edocere, in vobis & subditis haec & iis similia corriga-tis, tantoque plus luceant opera vestra bo-

*Vide lib. 15.  
epift. 144.*

na coram hominibus ut glorificent patrem vestrum qui est in celis quanto magis mala præterita facti evidenter publicavit, & ubi major ruina præcessit, ibi majoris repara-tionis sollicitudo sequatur, & dannum quod divulgata malitia intrulit, manifeste bonitatis suffragio restauretur. Quia vero integrum confluavit esse judicium quod plurimorum sententias confirmatur, & que profectum communem respiciunt, tradari solent melius in communi, annuatim intre-ffe Capitulo generali omni occasione postposita studeatis, quæ ibidem secun-dum Deum & beati Benedicti regulam fuerint instituta firmiter servaturi, & tam in iis quam in aliis dilecto filio Abbatu Clu-niacensi tamquam devotissimis patri & mem-bra convenientia capiti obedientiam & reverentiam debitam impendentes, circa reformationem prioratus de Caritate ma-num auxilijs & consilij apponatis, tantaque in præmissis diligentia vigiles quod nec in vobis per culpam nec in subjectis per ne-gligentiam offendentes, corrigitis in po-sterum quod in præterito commisisti. Vos denique, filii Abbates, super vobis ipsiſ &c. Datum Laterani Idibus Martij, pon-tificatus nostri anno sextodecimo.

*P A T R I A R C H A  
Hierosolymitano apostolica sedis  
Legato.*

**S**ollicitudinem tuam in Domino com-mendamus, eò quod circa terræ san-cta profectum adeo sollicitus & studiosus existis ut ei tam in spiritualibus quam tem-poralibus te pro viribus exhibeas fructuo-sum. Accepimus sancte per litteras tuas quod postquam venerabilis frater noster Episcopus Sidoniensis iter arripuit ad se-dem apostolicam veniendi, tu à Rege il-lustri Armeniae multa plenas humilitate verborum litteras receperisti, quibus signifi-cabat se pro reverentia nostra ad consilium & precum tuarum instantiam pacem cum Templaris reformasse, querelis eorū fatis faciens competenter, & quoniam per excommunicationis sententiam diu fuerat ab Ecclesia separatus, unde se plurimum contristari dicebat, absolutionis benefi-cium humiliiter postulabat, supplicans ci-holominus & instanter ut, sicut a nobis re-ceperas in mandatis, Comitem Tripolita-num ad faciendum sub examine tuo nepoti suo justitiam de Antiochia & principatu ejus ecclesiastica, si opus esset, distric-tione compelleres, cum idem nepos ipius super ius paratus existeret sub tuo iudicio.